

per testes idoneos et iuramenta eorundem cause terminentur. Preterea quicumque ex ipsis alias se transferre uoluerit, curias et domos ac alias possessiones suas, si quas habuerit, liberum habeat vendendi arbitrium, et cum bonis suis recedendi quo elegerit, debito tamen curie sue persoluto. Si quis etiam ex eisdem hospitibus nostris heredum solatio destitutus decederet, bona sua et possessiones cuicumque uoluerit legandi et relinquendi liberam habeat optionem. Statuimus etiam in ipsa libera villa nostra liberum forum absque exactione alicuius tributi, die dominico celebrandum, ad quod forum die sabbati quicumque voluerint conueniant libere, usque meridiem diei lune si placuerint permansuri. Cuius quidem fori institutionem in detrimentum seu destitutionem fori fratrum nostrorum Capituli Zagrabiensis in Casna (Cassina) antiquitus preordinati esse uolumus, cum iidem fratres nostri, reformato tempore, facultatem habebunt ipsum forum restaurandi. Nec id pretermittimus, quod predicti hospites nostri a medio quadragesime nunc venturo, ad anni spacium, nobis et castellano nostro de vgra nullum censum debitum, dacia vel collectas dare aut seruicia exhibere teneantur, ymo exempti sint ab huiusmodi honore seruiciorum, sine debito; Completo uero anno annuatim in tribus festiuitatibus, uidelicet in festo sancti Regis Stephani, natalis domini, ac resurrectionis eiusdem, pascalem pecudem, singulas galinas, de singulis mansionibus, et singulos duos panes, nec non tres marcas in denariis Zagrabiensibus nobis offerre teneantur. Castellano uero nostro similiter in ipsis tribus festiuitatibus vnā ouem, viginti galinas et quinquaginta panes offerent annuatim. Volumus etiam, quod si (qui) seruicium nostrorum fenum, pabulum aut aliquas res eorundem auferent uolenter, maior uille ipsorum equum eiusdem auferendi habeat facultatem, et assignandi dampnum et iniuriam patienti, donec eidem satisfiat de illatis. Ipsos etiam hospites nostros exemimus et liberos esse annuimus ab omni viagio, nec compelli debeant in equis uel pedites Legaciones seu litteras deferre ad nos uel alias nostris pro causis quibuscunque destinati. In cuius rei memoriam et perpetuam stabilitatem presentes eisdem contulimus litteras sigilli nostri patrocinio communitas. Datum Chasme (in dominica reminiscere, per manus magistri Dominici lectoris, nec non Zagrabiensis tunc prothonotarij nostri, Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo octauo). Nos igitur more pii patris, instancie et petitionum eorundem hospitum nostrorum inclinati, censes rationi consonum: tenorem eiusdem priuilegii diligenter inspectum iuste et rationabiliter emanatum conperientes, non abrasum, nec cancellatum, neque alicuius littere uicio deformatum, presentibus inseri fecimus et sigilli nostri autentici munimine roborari. In cuius nostre ordinationis et rei memoriam perpetuam presentes eisdem hospitibus nostris contulimus sigilli nostri autentici (appressionem) communitas. Datum et actum Chasme in festo sancti Georgii Martyris per manus discreti viri magistri Cirilli, prepositi chasmensis, protonotarii nostri. Anno domini M^o CCC^o Septimo.

Originale in pergameno cum Sigillo auulso, et transsumptum Jacobi Episcopi Zagrabiensis, a. 1348. in perg. una cum Transsumpto Capituli Zagrabiensis a. 1331. MSC. recentissimum, asservatur in mea collectione Diplomatum originalium.